

contrarium quis mihi facile probaverit, ubi *Suevos*, ait, *nuncios in omnes partes dimisisse, uti de OPPIDIS demigrarent*; quum oppida ibi conjunctionem tantum tectorum notent; vide sis Cic. de legibus I.

IX.

Horum pagorum *Centum* commemorat. Infra lib. IX. idem adserens addit: quod *Suevi ex C pagis suis quotannis singula armatorum millia bellandi causa e finibus suis educere soliti sint*. Centum Suevicorum pagorum & Cornelius Tacitus commemorat in *de situ moribusque Germ.* lib. Quot vero hominum millia singuli continuerint, non adeo pronum est determinare: Alii quippe *maiores*, alii *minores* erant. *Majores* multa, ut minimum XX. millia comprehendisse auctor est Henricus Glareanus in *ad comment. Cæs.* lib. IV. de *bello Gall.* eruditissimis adnotationibus. Tales IV. Helvetiorum erant; adeo ut non opus sit, mendum aliquod cum Hottomanno in *Cæs. comment.* agnoscere, ac si pro IV. forte XIV. legendum esset: nam hi maiores pagi integræ erant provinciæ, quales *Belgarum* sunt; quas *Strabo* *ἔθνη Gentes* |, *nationes* vocat, quando lib. IV. *Belgas* in *πεντεκαίδεκα ἔθνη διασημειουσι* scribit. *Minores* ditiuncula binorum aut ternum milium quique absolutebantur. Atque de his *Suevorum* illi C pagi accipi debere videntur. Ex quibus, utut non certum militum calculum subducere; illud tamen conjectare licet, fuisse eorum ingentes copias, utpote quas *Treviri Rheno* ab se prohiberi posse omnino diffidebant.

X.

Hi vero pagi in alias iterum dividebantur partes, teste Tacito l. c. *Eliguntur principes, qui jura per pagos, vicos-*